





Halle





1737, 21

FACULTATIS JURIDICÆ  
 DECANVS,  
 JO. PHILIPPVS  
 Streit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
 ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
 RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
 Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
 Acad. Typogr.









Quum est, eum, qui jure firmiore nititur, precedere illi, qui nititur infirmiore, quâ ratione motus prator Publicius actionem introduxit, quâ non usucaptum quasi usucaptura vindicatur. Publiciana dicta, ab auctore suo, quæ datur bonæ fidei possessori, qui rem nondum usucaptam amisit, ejusque heredi, adversus quemvis possessorem, qui titulum non habet, ut declaretur quasi Dominus, & res ei unâ cum fructibus restituatur. *Causa efficiens proximâ hujus actionis est fictum dominium, qui enim bonâ fide & justo titulo aliquid accepit, fingitur ejus dominus, etsi talis non sit. Causa remota est jus pratorium; Plerumque enim permittit prator rem agere, ut vel actor dicat se quasi usucepisse, quod non usuceperit: Vel ex diverso possessor dicat, adversarium suum non usucepisse, quod usuceperit. §. 3. Inst. de act.* subjectum hujus actionis activum est is cui competit. Competit autem non solum ei, qui rem ex justâ causâ à non domino traditam accepit, & antequam usucaperet, casu aliquo amisit, ac heredibus ejus. *arg. §. 12. inst. de usucap.* Sed etiam vero domino, fundatur enim in æquitate naturali, quæ utique postulat, ut dominus potius rem habeat, quàm tertius, qui nullo jure eandem possidet. Insuper introducta est hæc actio in defectum remedii ordinarii, adedque meritò con-



ceditur domino, si jus suum probare nequeat, paria enim sunt, actionem non habere, & habere, sed inopiâ probationum impeditum. Porro si dominus actione publiciana agat, excipere reus non poterit, eum audiendum non esse, eò quod dominum se iactaverit; hinc non ineptè dicitur in *L. 1. ff. de public. in rem act. nec desiderat honorariam*. Scilicet, si liquido dominium probet, alioquin enim honorariam desiderabit. Id ipsum etiam probatur per *L. minor 39. §. 1. ff. de eviction. §. gl. in verbo, supererit*. Ubi dicitur: qui egit rei vindicatione, & amisit, nihilominus recedit ad publicianam. Ergo etiam domino publiciana competere potest, modò eam non intendet ut dominus. Cui communis DD. schola subscribit. *Myssing. ad §. Namque 4. Inst. de act.* subjectum passivum actionis hujus est is, contra quem datur. Datur autem contra eum, qui jus infirmius habet actore. *L. ult. ff. de public. in rem act.* contra verum dominum regulariter non datur: non enim ideò comparata est, ut res domino auferatur, sed ut is vincat, qui jure firmiore nititur. *d. L. ult. dixi regulariter*, sunt enim casus excepti: Primus, vicina domus minabatur ruinam, cum possessor mihi cavere nollet, fui missus in possessionem ex primo, tandem durante contumaciâ, jussus sum eam possidere ex secundo decreto. Postea venit verus dominus & me violenter non admittit, vel etiam admissum dejecit, hoc casu dicitur, in *L. damni infecti §. non solum 15. de damn. infecti. quod utile*, id est, efficax, *gl. ibid. interdictum unde vi, vel publicianam actionem habere possim*. Secundus in *L. 28. ff. de noxalibus act.* si servus à non domino fit noxa datus, & hic ad verum dominum perveniat. Tertius in *L. si à Titio in fin. ff. de R. V.* Quartus in *L. si quis rem. ff. de except. rei jud.* Objectum actionis hujus sunt res quælibet bonâ fide acceperit,



cepta, ac ante usucapionem amissa, dummodo ejus sine  
indolis, ut usucapionem admittant: hanc enim si effugi-  
ant, objectum actionis hujus non constituunt. *L. 9. §. 5. ff.  
de publ. in rem act.* unde in re furtiva *L. 9. §. hac autem ff. d.  
re alienari prohibita. L. 12. §. res eod.* hæc actio locum  
non habet. Excipiuntur tamen prædia vectigalia, quæ li-  
cet usucapi non possint, actione tamen hæc repeti possunt,  
*dist. L. 12. §. 2. eod.* ratio disparitatis, quia quod hæc prædia  
usucapi non possint, non provenit ob vitium rei, sed quod  
sint res publicæ populi Romani. Forma actionis hujus stat  
in modo deducendi eam in judicium, ut autem rectè de-  
ducatur, plura probanda sunt, quædam ex parte actoris,  
quædam ex parte rei conventi. Actor docere debet, quod  
bonâ fide rem acceperit: si scientiam habuerit rei alienæ,  
non auditur publicianam movens: qui enim eandem mo-  
vet, fingitur usucapisse quod non usucapit: huic fictioni  
autem locus non suppetit, si actor conditionem rei habue-  
rit exploratam. Insuper probare debet, quod ex justâ  
causâ, sive titulo ad transferendum dominium habili rem  
acceperit. *L. 11. 2. §. 3. d. l.* Nisi enim ejusmodi titulo mu-  
nitus sit, non est, cur dominus à Præatore fingatur. Porrò  
monstrare debet, rem fuisse traditam. *§. 4. inst. de art.* Qui  
enim actione hac experitur, fingitur rei dominus, si autem  
traditio non præcesserit, non est, cur dominus fingatur,  
quia non nudis pactis, sed traditionibus dominia transfe-  
runtur. *L. 20. ff. de pact.* Ex parte rei docenda infirmior  
possessio: nam ut actor judicio hoc vincat, debet niti jure  
potentiori, alioquin prevalere non potest, quia si reus  
æquali jure munitus sit, defenditur prærogativâ possessio-  
nis, cujus in pari causâ melior conditio. *L. 91. §. 3. in fin. ff.  
de V. O.* censetur autem jus rei debilius esse jure actoris, si



res titulo destituatur, vel bonâ fide. Si titulo munitus sit æque bono ac justo, non est, cur formides. *L. 9. §. 4. ff. de publ. in rem act.* Si duo eandem rem emerint, refert, ab eodem non domino emerint, an diversis. Si ab eodem, is potior habetur, cui priori res tradita. *d. L. 9. §. 4.* Primâ traditione siquidem non dominus omne jus suum in alterum transtulit, eoque non potuit traditione secundâ quicquam juris amplius transferre. Si à diversis dominis, interest, unus eorum rem emptam possideat, an tertius. Priore casu vincit, qui possidet, quia, cum æqualis utriusque sit conditio, sub intrat regula, quod in pari causâ melior sit conditio possidentis, posteriore casu pravalet, cui priori res tradita. *L. 31. §. 2. ff. de act. empt. vend.* Ob prærogativam temporis, cujus propterea hoc casu habetur ratio, quia res alioquin non posset fortiri exitum. Effectus hujus actionis, ritè in judicium deducta est, quod reus jubeatur rem cum fructibus, accessionibus & omni causâ actori restituere. Ratio habetur in *L. 7. §. 8. de publ. in rem act.* quia in publicianâ actione omnia eadem sunt, quæ in rei vindicatione. *dict. L. 7. §. 4.* sicut igitur in rei vindicatione reus convictus tenetur rem petitam restituere, cum omnibus fructibus, damnis & expensis, ita quoque in publicianâ. Plura alia huc spectantia uberius tractabit, quem sistit jam Facultas nostra, juris utriusque Candidatus

NOBILIS ET CLARISSIMVS DOMINVS

**JOH. ANDREAS MEISSEL,**

*Advocatus immatriculatus Saxon.*

Is in oppido circuli Misnenensis, Rieffa dicto, primum vitæ auspiciis acceptum fert. Natalis annus eidem fuit superioris



rioris sæculi octuagesimus sextus, Mense Augusti in lucem editus à parentibus honestis, Patre nimirum ANDRÆA MEISSEL vedigalium, & Accisarum Receptore in memorato oppido. Matre verò ANNA MAGDALENA ex stirpè Grossiana oriunda, quorum ante multos ab hinc annos e vitâ decessum dolet, adhuc, memoriamque pietate ac desiderio prosequitur. Optimis enim parentibus suis nihil prius nihil antiquius fuit, quam ut eum tum fidei Christianæ Elementis, tum bonorum literarum ornamentis imbui curarent. Hunc in finem Scholæ Patriæ eum formandum crediderunt, & Misenam miserunt, ubi in Scholâ oppidanâ per tres integros annos fidelissima institutione virorum præclarissimorum M. BURGERI & M. MÜLLERI tunc temporis Rectoris & Con-Rectoris frui ei licuit. Anno 1707. ad altiora progressurus, Vitembergam petiit, in qua per triennium commoratus, Scholas Philosophicas & Juridicas frequentavit. Sicuti verò ad Juris prudentiæ studium præcipuè animum applicuit, ita excellentissimos & præstantissimos Jure Consultos D. BEYERVM nunc beatè defunctum Per-Illustres DOMINOS D. JOH. HEINRIC. à BERGER, & D. JOH. BALTHAS. à WERNHER, nunc S. Caf. Maj. in Senatu Imperii Aulico Consiliarios audivit & præsertim prædicti Dni à WERNHER lectionibus privatis ad omnes Juris partes, seu integro Cursui Juris & Exercitationibus Disputatoriis in Auditorio Juridico publicè habitis per biennium interfuit, Anno 1709. Magnifico Jctorum Virembergenfium ordini se sistendum duxit, ut vires & profectus suos exploraret, testimoniumque valde honorificum de super consecutus, si quidem Amplissima Facultas Juridica eum, qui ad Causas in foro perorandas admitteretur *dignissimum* judi-



judicavit, coram Reginine Regio-Electorali Dresdensi,  
præstitâ consuetâ juris jurandi formulâ, Albo Advocato-  
rum insertus fuit, ex quo tempore non solum Advocatu-  
ram exercuit, sed etiam in diversis Ministrorum, status, Co-  
mitum, Baronum & Nobilium Dynastiis officio Judicis fun-  
ctus est & adhuc fungitur. Quibus officiis, egregioque studio  
fretus ad summos juris in utroque jure honores petendos  
inductus est, & laudabile suum propositum, Facultati Ju-  
ridicæ exposuit, & consuetum rigorosum Candidatorum  
examen efflagitavit, ad quod admissus, post eleganter ex-  
planatos ex utroque jure textus transmissos, in eo se adeo  
eruditum præstitit, ut sine omni deliberatione Gradu  
Doctorali dignissimus existimatus & ad cætera con-  
suetâ specimina publica admissus sit. Hinc die X. Julii ho-  
râ nonâ matutinâ lectionem cursoriam *ad dict. L. ait*  
*Prætor ff. de public. in rem act. &*, eâ finitâ, Dissertationem in-  
auguralem DE POSSESSORIO SUMMARISSIMO, MA-  
XIME SECUNDVM JVS SAXONICVM ELECTORALE  
NOVISSIMVM, habebit. Ad quos actus solemnes Ma-  
gnificus Vniversitatis Dominus Rector cæterique Domi-  
ni Proceres & Cives Academici, eâ quâ par est humanita-  
te invitantur. Publ. sub Sigillo Facultat. Jurid. die VIII.  
Julii MDCC XXXI.



4



ULB Halle

3


005 367 751



VD 78









25

1737, 21

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,

JO. PHILIPPVS

Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

